



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regvla IX. Ratum quis habere non postest, quod ipsius nomine non est  
gestum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

Excepto perjurio, cui etiam post emendationem amplius non creditur, *cap. Testimonium* § 4, *De testib.* Ratio hujus Regulae est, quod animi mutatio non praesumatur: cum mutata sit quid facti, & idcirco probandum est, *l. 2. D. De jur. & facti ignor.* E contra is, qui semel bonus fuit, semper praesumitur bonus, *cap. Mandato* 6, *De praescript. ob eandem rationem.* Huc spectat responsum Me-

nandri J. C. in *l. Non omnes* § 5, *A barbaris D. Dere milit. A barbaris*, inquit, remissos milites ita restitui oportere Et Adrianus rescripsit, si probabunt se captos evasisse, non transfugisse; sed hoc licet liquidò constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est, & si bonus miles antea ascriptus fuit, prope est, ut ejus affirmationi credatur: si remansor, aut negligens suorum, aut segnis, aut extra contubernium agens, non credatur ei.

## REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum,

**H**æc Regula desumpta est ex *cap. pensul. De sent. excomm. lib. 6*, Convenit cum *l. Si pupilli* 6, § 5, *sed si ego D. De negotiis gest.*

Ratum autem habere dicimur, cum approbamus, quod nostro nomine gestum est, *l. Quo enim* 12, in princ. *D. Ratam rem haberi.* Quod enim nostro nomine actum non est, ratum habere non possumus, quoad hunc effectum, ut nostrum fiat, juxta hanc regulam. Pingamus Titium comparasse ædes à Sempronio, et alium contractum cum eo iniivisse, nullâ aliâ, quam utriusque contrahentium contemplatione: profectò fieri non potest, ut ego ratum habendo factum ipsius Titii, obligatum habeam Sempronium; propterea quod contrahentes se invicem tantum obligare voluerint, *per text. in d. l. Si pupilli* 6, § 1, *D. De negot. gest. in l. Servus* 13, *D. De precario, junctâ l. Non omnis* 9, *D. Si cert. pet.* At si mei contemplatione contractus celebratus fuerit, jam rati habitatione meâ quodammodo meus contractus fit, eò quod Sempronius

non Titium, sed me obligatum sibi voluerit, ex subsequenti rati habitatione meâ, juxta *reg. seq. & quæ ibi dicuntur.*

Cæterum obtinuit quoad jacturam rei meæ vel alterius, me ratum habere posse, etiam quod meo nomine gestum non est, ut in specie *l. 3. Cod. De rei vindic. l. Aliena* 20, in princ. *D. De pignor. act. l. 2* § fin. *D. Depositi, l. fin. C. Ad S. C. Maced. & cap. Cura* 11, § *De jure patron. vel si æquitas aliud suggerat*, veluti si res mea ab alio vendita sine mandato meo apud emptorem perierit, aut ab eo præscripta sit; possum enim ratam habere hanc venditionem, ut ita à venditore pretium ejus consequar, *d. l. 3, l. Si pecuniam* 9, *C. De negot. g. est. & l. Si eum servum* 23, *D. Si cert. pet.* Unde non obest regula nostra textus in *l. Ei qui* 7, § fin. *C. Quod cum eo qui in aliena potest.* Quia & ibi recipitur rati habitio in præjudicium ratum habentis; quod fieri posse jam monuimus.

## REGULA X.

Rati habitationem retrahere, & mandato non est dubium comparari.

**H**æc Regula huc translata est ex *c. pen. De sent. excomm. lib. 6, ex c. fin. De jurejur. eod. lib. & c. Si tibi* 17, *De præben. eod.* Convenit cum *l. Hoc jure* 19 § 1, *D. hoc tit. & l. Vero* 12, in princ. *D. De solutionib.* Est autem accipienda, si nomine ratum habentis negotium gestum sit, sicut latius dictum est ad præcedentem Reg.

Et non tantum in contractibus, *l. Si fundus* 10, § 1, *D. De pignor. l. fin. C. Ad S. C. Maced. l. Semper qui* 61, § 1, *D. De reg. jur. sed & in actibus judicialibus, l. Licet* 56, *D. De judic. adeoque in malficiis locum habet, c. pen. De sent. excomm. l. Ex hoc jure D. De reg. jur. Neque interest, rati habitio à præsentate vel ab*

absente facta sit, juxta doctrinam à Bartolo traditam; quod in iis, quæ ex mera voluntate alicujus pendunt, non requiratur patris præsentia, *Bart. ad Pomponium num. 1, D. De neg. gest. & in proposito argumento probat textus in l. Si filius familias* 18, *D. Ad S. C. Maced. in l. fin. C. eod. tit.*

Hæc autem rati habitio non tantum verbis fit, verum etiam re ipsâ, ex responso J. C. Pauli, in *l. Paulus* 3, *D. Ratam rem hab.* De verbis, res in confesso est. Re ipsâ, veluti si dominus à procuratore falso inchoatam litem persequatur, *d. l. Paulus* §. 1, vel si quis ex contractu suo nomine ab alio inito ipse experietur; censetur enim eo ipso con-

Zzz 3

tractum